



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et Divortiis, Dissertationes Tres

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. VI. An qui patris, avi vel proavi loco per adoptionem est, filiam, neptemvel proneptem adoptatam ducere possit? Item, An tutori cum pupilla sua, & susceptori cum suscepta ex sacro baptismatis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

Responsum fufius videri poteft in *Oper. Cocceji Tom. VI. Confil. XXI.*

XIX. *Quæftio quinta* quartæ cognata eft, *An vitrico viduam defuncti privigni ducere, vel, An noverca (qui idem casus eft) viduo defunctæ fuæ privigna nubere licitum fit?* Jure civili hæ nuptiæ funt prohibitiæ, non autem jure Canonico. Carpzovius hunc & præcedentem casum, de vitrici privigna, conjungit, simulque prohibitos dicit *cit. lib. Def. CI. & simul difpenfables Def. CXIX.* Vinnius ad *Instit. I. Tit. X. §. 6.* respondet ad fententiam Papiniani, quod honeftas & pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando filius fuit propter matrem, quam in matrimonio habui. *Gifb. Voetius Polit. Ecclef. Par. I. Lib. III. Tract. I. Sect. II. c. V. Quæft. V.* fcribit, Bezam & Theologos Auguftanæ confeffionis, Gerhardum, Pruknerum, Tarnovium & alios voluiffe, *In matrimoniis conjungendis non folum infpici debere, quod licet, fed & quod honeftum eft.* Atque ita concludit: *Nos cenfemus absolute & intrinfece tale conjugium, in foro poli & conscientia illicitum non efle, interim ubi lege prohibetur, & difpenfatio obtineri nequit, abftinendum eft: aut fi rationes alicujus omnino ferant, ut tale conjugium ineat, & fi forte res non eft in integro, eo fe conferat, ubi per leges licitum eft.* Perplacet nobis hoc Venerandi Theologi, cæterorumque celeberrimorum virorum judicium.

XX. Sequitur *Quæftio fexta, An qui patris, avi vel proavi loco per adoptionem eft, filiam neptem vel proneptem adoptatam ducere poffit?* item an tutori cum pupilla fuâ, & fufceptori cum fufcepta ex facro baptifmatis fonte matrimonium inire liceat? Hanc quæftionem operofe tractarunt varii auctores. Nos breviffimo refponfo defungemur, nullam fcilicet jure propinquitatis nobis prohiberi mulierem, quæ nec affinis, nec confanguinea fit, qualis eft adoptata, tutoris pupilla & fufceptoris e baptifmo fufcepta, inter quos nulla carnis propinquitas intercedit, de qua nobis fermo. Quod ergo neque in jure naturæ neque in divino V. ac N. Testamenti a Deo prohibitum, id nobis licitum efle audacter pronunciamus, ne per fictas cognationes conscientis infiniti fcrupulorum laquei injiciantur.